



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

I. De contractibus & eorum divisione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

SUMMÆ JURIS CANONICI
LIBER TERTIVS,
QUI EST DE CONTRACTIBUS, ULTIMIS VOLVNTATIBVS,
ET DE DELICTIS.

DE CONTRACTIBVS ET EORVM DIVISIONE.

TITVLVS I.



Contractum vocat Labeo J.C. ultro citroque obligationem, *l. Labeo 19. D. De verb. signif. secutus proprietatem nominis*: quasi contrahere idem sit, quod simul trahere, alterum alteri obligando. Alias usurpatione juris, contractus etiam depositum, precarium, donationem, & similes conventiones continet, quæ utrimque obligationem non pariunt. uti ex sequentibus parebit. Contractum auctores juris dividunt in Nominatum & Innominatum. Nominatus contractus est, qui in certum & distinctum ab aliis contractibus nomen tran-

sit; ut sunt, emptio, venditio, locatio, conductio, commodatum, depositum, mutuum, pignus, fidejussio, & nonnulli alii, *l. 1. § fin. & l. iura gentium 7. circaprise. D. Depact. l. Naturalis 5. D. De prescript. verb.* Quibus & adjiciuntur, precarium, precaria, feudum, donatio, *de quibus inf. juu. tit.* Contractus vero innominatus certo nomine caret; causam tamen obligandi habet, videlicet, dationem vel factum. Horum quatuor genera recensentur, Do ut des; Do ut facias; Facio ut des, *de quibus in d. l. iura gentium & tota tit. De prescript. verb.* quod referri potest & permutatio, *de qualib. 3. Ext. & in 6. Permutati. nem autem nihil aliud esse quam contractum (Do ut des) probat Corasius, lib. 2. Miscell. cap. 15.*

DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

TITVLVS II.

§. I. Quomodo contrahatur, & quarum rerum.

Empcio & Venditio tunc contrahitur, simulque de pretio conventum, etiam si pretium nondum numeratum, & res nondum tradita sit, *tit. Instit. De emp. in princ. & in §. quam autem.* Sed pretium in numerata pecunia consistere debet, §. pretium Instit. d. tit. *Et l. Emptio C. De contrah. emp.* Qualiscumque autem res emptæ & venditæ, sive mobilis, sive immobilis ea sit, corporalis sive incorporalis, nihil plane interest, modo ea possideri aut quasi possideri possit. *l. Si emptioe 34 §. omnium D. eod.* Possidentur proprie res corporales; quasi possidentur res incorporales, veluti sunt hereditas, servitutes, obligationes, actiones, atque his similes, *d. l. 1. Et ibi Glos. in V. corporalia D. De acquir. vel amitt. poss. juncto tit. sup. de rerum divis.*

§. 2. Annuum censum sive redditum recte emi.

Nam & annuus census recte emitur, id est, jus præstandi & solvendi annuum censum sive redditum, *cap. 1. c. 2. De empt. in Ext. com. vide laurus Covarr. Var. resolut. l. 3. cap. 7. Andr. Gail. lib. 2. obsequio 7. Navarr. in Manuali cap. 17. num. 234. cum seqq.*

§. 3. De justo pretio emptionis & venditionis.

Ut autem hic contractus constet, necesse est pretium rei emptæ & venditæ aut justum sit, aut non valde inæquabile; alioqui læsus ultra dimidium justum pretii agere potest, ut vel contractus rescindatur, vel quod justo pretio deest, suppletur, *cap. 3. c. 6. Ext. hoc tit. Et l. 3. C. De rescind. vend. a §. 4. De*